



The Holy See

IOANNES PAULUS PP.II

***EPISTULA AD
SERGIUM S.R.E. CARDINALEM GUERRI,
OB QUINQUAGESIMUM EXPLETUM ANNUM
A SUSCEPTA PRESBYTERALI ORDINATIONE***

Venerabili Fratri Nostro

Sergio S.R.E. Cardinali Guerri

Minime Nos praeterit faustus eventus proxime adventurus, qui ad te attinet, Venerabilis Frater Noster: etenim sub finem mensis Martii quinquagesimum celebrabis sacerdotii tui natalem. Quem in diem inspicientes, facere non possumus quin publicas has ad te Litteras Nostras ea mente demus, ut inter coniunctissimos tuos Nos quoque participes habeas solacii tui, immo etiam animo praesentes et magna prece Deum laudantes, qui praecelsum tibi tribuit vocationis donum.

Nos tecum iuvat in memoriam revocare illud tempus praeteritum ex quo tu, cum anno MCMXXIX sacrum presbyteratus ordinem suscepisses, vires iuventutis tuae in famulatum Ecclesiae impendere alacer coepisti. Compertum habemus te sedulo periteque in Apostolicae huius Sedis ministerio diu esse versatum; quo factum est ut a Paulo VI, Decessore Nostro rec. mem., anno MCMXIX, in sacrum Cardinalium Collegium adlegereris.

Quot profecto, tam longo hoc temporis spatio, a Deo tibi collata beneficia, quot a te, Deo auxiliante, inita ac perfecta opera! Nos vero pro benevolentia, qua te prosequimur, hunc felicem eventum vitae tuae ex animo tibi gratulamur, bene precantes, vota facientes. Nam vocatio, cui ante decem lustra generosus respondisti, per hos annos est corroborata et egregia accepit incrementa, utpote cum, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, constitutus sis “ oeconomus gratiae supremi sacerdotii ”.

Praeter alia tibi praecipuo honori est quod, alter a Praeside Pontificiae Commissionis pro Civitate

Vaticana factus, de rebus ad ipsius muneris validam perfunctionem curas adhibuisti diligentiae plenas.

Precamur ergo miserentissimum Redemptorem eiusque sanctissimam Matrem, ut anniversarium sacerdotii tui diem maxime laetificent, quem Nobis per hanc epistulam celebrare placuit. Te vero, Venerabilis Frater Noster, libenter extimulamus, ut Sancti Augustini Hipponensis Episcopi hortationem illam consideres: “ In operibus tuis gratuita sit dilectio Dei, benefica dilectio proximi ”, atque ut Christi boni Pastoris imaginem imitatione referas, quae ab eodem Sancto Augustino hisce verbis describitur: “Praepositi sumus, et servi sumus; praesumus, sed si prosumus”.

Haec habuimus, Venerabilis Frater Noster, quae tibi corde dictante scriberemus. Memores sane tui illo die erimus, cui iam nunc prosperum posthac vitae cursum ac ministerii sacri uberrimum proventum exoptamus per Apostolicam Nostram Benedictionem, tibi nec non omnibus istius celebrationis participibus amantissime impertitam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XI mensis Martii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PAULUS PP. II